



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Cap. III. Sixti V. Pont. Max. diploma, quo reformatio Ordinis à B. Theresia
instituta adprobatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)

Trium autem votorum cultus accuratissimus est: obedientia quippe exiguum aquæ potum, sine Superioris expresso consensu, quasi graue piaculum horret: & in morem introductum est, vt omnes cordis latebræ Superioribus aperiantur, eorumq; consilio per omnia regi vniuersi Fratres impent cupiant. Castitas studiosissime colitur, vt decet purissimæ Virginis filios: sunt enim actus Congregationis omnes ad eam perficiendam appositi. Paupertatis Apostolicæ studium plane mirum est. Nemo quippe præter lectulum, libros è communi bibliotheca de Superioris venia depromptos, Crucem ligneam, duas vel tres imagines papyraceas, vel pomum quidem vnum habere permittitur.

Humilitas (quam Congregatio velut reginam veneratur) præter exercitia familiaria, & obsequia Fratrum alterna, sancitur voto quarto, prælationem, vel officium intra Congregationem non ambiendi, & extra, nisi obstringente Summo Pontifice, non accipiendi.

Charitas demum, quæ structuræ torius fastigium est, multa exercitiorum æmulatione succrescit. Clementissimus enim Deus ad hæc omnia peragenda cœlestis gratiæ vim abunde largitur: quam ad gloriam immortalem suam, & animarum salutem, hac potissimum tempestate perficiat. Institutum hoc leuiter à nobis adumbratum (quod exceptis functionibus, & ritibus, quos femineus sexus excludit, à Monialibus æquè colitur) B. Virginii TERESIÆ acceptum referendum est.

CAPVT III.

Sixti V. Pont. Max. diploma, quo reformatio Ordinis à B. TERESIA instituta adprobatur.

SIXTVS PAPA V. *Ad perpetuam rei memoriam.*
Quæ à Prædecessoribus nostris pro personarum, maxime Religiosarum bono regimine,

& mutua quiete, & concordia inter eas conseruan-
da salubriter ordinata sunt, ea vt firmiora perfi-
stant, libenter cum à nobis petitur, nostram inter-
ponimus auctoritatem.

Alias siquidem post confirmationem Regulæ
Fratrum Eremitarum Ordinis B. Mariæ de monte
Carmelo, quæ de mandato scilicet rec. *Innocentij Pa-*
pæ IV. nostri prædecessoris a bonæ mem. *Hugone*
tit. S. Sabinæ Presb. Card. & *Guillielmo* Episcopo
Antheradensi correctæ, & declarata, ac deinde
iuxta correctionem, & declarationem huiusmodi
ab eodem *Innocentio* Prædecessore comprobata
fuisse asseritur: piæ mem. *Eugenius* Papa IV. etiam
prædecessor noster rigorem illius mitigans & Re-
gulam ipsam moderans, ordinasse, & concessisse
inter alia dicitur, quod eiusdem Ordinis Professo-
res tribus dumtaxat diebus singularum Hebdoma-
darum, etiam quibus ieiunare iuxta eandem Re-
gulam essent astricti, præterquam in Aduentu,
Quadragesima, & alijs generaliter prohibitis die-
bus, carnibus vesci, & horis congruis in eorum Ec-
clesijs manere, ac per claustra & eorum ambitus
deambulare liberè & licitè valerent. Decernens
eosdem Fratres circa præmissa ad arctiorem obser-
uantiam, quam superius præmittitur, occasione
Professionis in dicto Ordine emissæ, vel in poste-
rum emittendæ minimè teneri, & alias, prout la-
tius in dictorum Prædecessorum litteris dicitur
contineri. Ac demum cum recentioris memoriæ
Gregorio Papæ XIII. similiter Prædecessori nostro
expositum fuisset, quod de anno Domini millesi-
mo quingentesimo sexagesimo quinto, seu alio ve-
riori tempore nonnulli Professores dicti Ordinis
cum licentia sui Prioris Generalis tunc in partibus
Hispaniarum existentis, aliquot Fratrum, & Mo-
nialium eiusdem Ordinis Monasteria, in quibus
primitiua Regula præfata cum omni obseruantia
& rigore retineretur, in Hispaniarum Regnis, sub

obedientia tamen Prouincialis fundare & ædificare
 cœperant, quodque Regulam & obseruantiam hu-
 iusmodi tam fundatores præfati, quam alij, qui ex
 Mitigatis pro tempore admittebantur, renuntian-
 do mitigationi, & relaxationi dicti *Eugenij* Præde-
 cessoris, transacto probationis anno, denuo, ac
 etiam alij de seculo venientes profitebantur, ac nu-
 merus Religiosorum, qui *Discalceati* nuncupantur,
 primitiuam huiusmodi Regulam profitentium, &
 obseruantium, magnopere vti tunc expressum
 fuit, excreuerat, quodq; iidem Religiosi *Discal-
 ceati*, vltra contenta in dicta Regula, de licentia
 ipsius Prioris Generalis, & cuiusdam Vicarij per
 eum in Prouincia Castellæ deputati, & cum appro-
 batione visitatorum Apostolicorum dictæ Religio-
 nis, quædam alia instituta ad carnis mortificatio-
 nem, & populi ædificationem, ab initio suæ insti-
 tutionis obseruare incœperant, veluti discalceatos
 incedere, indui sacco, dormire super tabulis, ad
 subleuandam suam inopiam manibus proprijs ope-
 rari, multum se in oratione exercere, diuinumq;
 officium sine cantu, & sine modulatione recitare.
 Idem *Gregorius* Prædecessor Charissimi in Christo
 filij nostri (tunc sui) *Philippi* Hispaniarum Regis
 Catholici, ac etiam eorundem Fratrum Discalcea-
 torum precibus annuens, de consilio venerabilium
 Fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. Cardina-
 lium super visitatione Apostolica, consultatione
 Episcoporum, ac Regularium reformatione depu-
 tatorum (de quorum numero nos quoque in mino-
 ribus constituti, & Cardinalatus honore fungentes
 tunc eramus) institutum huiusmodi, quod iuxta
 primitiuam Regulam ipsi Fratres profitebantur,
 laudando & approbando, dictos Fratres, & Monia-
 les primitiuam huiusmodi Regulam in Regnis Hi-
 spaniarum obseruantes (*Discalceatos* nuncupatos)
 eorumq; Domos, Conuentus, Monasteria, & loca
 tunc & pro tempore existentia à Prouincijs Fra-
 trum

trum, & Monialium eiusdem *Ordinis B. MARIAE de monte Carmelo* Regulam per dictum *Eugenium* Prædecessorem mitigatam, tunc, & pro tempore Observantium (qui *Mitigati* nuncupantur) penitus, & omnino in perpetuum auctoritate Apostolica seiunxit, separavit, ac dismembravit, ipsosq; *Discalceatos* ab omni & quacunq; iurisdictione, visitatione, correctione, superioritate, quæ Prioribus, Prouincialibus, cæterisq; Prælatis, & Superioribus *Mitigatis* in ipsos *Discalceatos* competebat, perpetuo exemit & liberavit, ac eorundem Fratrum, & Monialium *Discalceatorum* Domos, Monasteria & loca quæcunq; eatenus erecta, & instituta, & ex tunc in futurum erigenda, & instituenda in vnam Prouinciam de per se (*Discalceatorum* nuncupandam) per vnum Priorem Prouincialem, qui in capitulo ipsius Prouinciæ ex eisdem *Discalceatis* ut præfertur eligi deberet, regendam & gubernandam in perpetuum erexit, & instituit, ac ipsam Prouinciam Fratrum, & Monialium *Discalceatorum* sub obedientia, & superioritate Prioris Generalis totius ordinis ad instar aliarum Prouinciarum eiusdem Ordinis perpetuo subiectam remanere, subesse & subiacere voluit. Qui Prior Generalis per se ipsum tantum, vel per alium virum idoneum ex ipsis *Discalceatis*, & iuxta eorum primitiuam Regulam, ac Regularia instituta ab ipsis *Discalceatis* obseruari solita eos visitare, reformare, corrigere, & punire possit, in Monasterijs tamen, Domibus & locis ipsorum Fratrum *Discalceatorum*, extra quæ nullatenus ipsi *Discalceati*, vel aliquis eorum ab eodem Priore Generali quouis prætextu, vel occasione amoueri, assignari, mutari, extrahi, seu transferri, aut ad alias Prouincias mitri, aut retineri possent, nisi aliter in eorum Capitulo Prouinciali fuisset ordinatum; ipsi vero dictæ Prouinciæ *Discalceatorum* Fratres in præmissis perpetuo eidem Priori Generali parere, & obedire, & cum ipsum ad

eorum Monasteria, Domos, & loca diuertere, aut pro uisitatione huiusmodi, vel alias accedere contigisset, cum omni humilitate & reuerentia benigne recipere, & pertractare tenerentur, & deberent: Priori uero Prouinciali eiusdem Prouinciae Fratrum Discalceatorum ipsos Fratres, & Moniales Discalceatos, illorumq; Domos, Monasteria, & loca quaecunque regendi, gubernandi, uisitandi, reformandi, corrigendi, puniendi, & castigandi, ac Capitulum Prouinciale suis loco, & tempore indicendi, conuocandi, congregandi, & celebrandi, quoscunque Officiales necessarios una cum Capitularibus eligendi, ac quaecunque statuta, & ordinationes pro bono regimine ipsius Prouinciae, & Dei seruitio in eodem Capitulo condendi, mutandi, alterandi, ac in totum si uidebitur, abrogandi, ac etiam de nouo edendi, dummodo sacris Canonibus, & Concilij Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis, eorumq; primitiuae Regulae, & institutis praefatis non aduersarentur, & abusus quoscunque tollendi, & emendandi, Monasteria item Domos & Conuentus tam uirorum, quam mulierum eiusdem prouinciae in quibusuis locis cuiusuis licentia desuper non requisita de consensu dicti eorum Capituli, & alias seruata forma eiusdem Concilij, construi & aedificari faciendi, ipsiq; Priori Prouinciali, postquam electus fuisset, officium suum exercendi, absque alia confirmatione (quam tamen a Priori Generali totius Ordinis mox petere teneretur) plenam & liberam facultatem concessit, ac prohibuit perpetuo, ne Fratres, & Moniales Discalceati ad suum Fratrum Mitigatorum, vel alium Ordinem praeterquam Carthusianorum sine Apostasiae nota transire possent, atque inhibendo sub poena excommunicationis Priori Generali, Prouincialibus, & Commissarijs, alijsq; Praelatis, Ministris, aut Officialibus, ne eosdem Fratres, vel Moniales Discalceatos super praemissis quoquo

quoquo modo molestantur: ipsis etiam Discalceatis indulget, ne eis vlllo modo parere, aut deferre tenerentur, salua tamen in reliquis obedientia Prioris Generalis totius Ordinis, cui eos perpetuo subiectos esse, & subiaccere voluit, aliaq; nonnulla eisdem Discalceatis sub certis modo, & forma tunc expressis concessit, & indulget, cum de sic iudicando, & irritanti, alijsq; decretis, & clausulis præseruatiuis, & derogationibus adiectis, certis etiam iudicijs, siue etiam executoribus deputatis, prout in litteris *Gregorij* Prædecessoris huiusmodi sub data die vigesima secunda Iunij, Anni Domini millesimi quingentesimi octogesimali in forma Breuis expeditis latius continetur. Ad quarum litterarum executionem cum (sicut iidem Fratres Discalceati nobis exponi fecerunt) iam processum fuerit, & vsus ipse doceat indies magis (iuuante Domino) ex illarum dispositione plura Monasteria ad honorem diuini nominis, & eiusdem Prouinciæ, atque adeo totius Ord. salubrem directionem, statumq; pacificum, & tranquillum redundare. Propterea nobis fuit humiliter supplicatum, vt hæc ipsa pro eorum subsistentia validiori de nouo autoritate Apostolica roborare, de benignitate Apostolica dignareremur.

Nos igitur dicti *Philippi* Regis, ac eorum Discalceatorum supplicationibus inclinati dictas *Gregorij* Prædecessoris literas, quarum tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, tam quoad præmissa, quam reliqua in eis contenta, ac processibus habitos per easdem, & inde secuta omnia, & quæcunque autoritate Apostolica perpetuo approbamus, & confirmamus, illisq; perpetuæ, inuiolabilis, & inconcussæ firmitatis, & approbationis Apostolicæ robur adijcimus, eaq; vniuersa, & singula præsentis scripti patrocinio communimus, ac omnes, & quoscunque iuris, & facti vel solennitatum, aut alios defectus, etiam substantiales, si qui interuenerint in

rint in eisdem), supplemus, eaq; de nouo per præ-
sentes, alias tamen iuxta formam, & tenorem præ-
fatarum *Gregorij* Prædecessoris literarum concedi-
mus, indulgemus, statuimus, & ordinamus, ac per
eos, ad quos spectat, firmiter, & inuiolatè obseruari
in omnibus, & per omnia percipimus & manda-
mus. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si le-
cus super his à quoquam quauis autoritate scien-
ter, vel ignorantè attentatum forsan est hæcenus,
vel in posterum contigerit attentari.

Ac insuper eorundem *Discalceatorum* precibus
in hoc quoque annuentes vniuersis, & singulis Fra-
tribus, ac Monialibus *Discalceatis* præfatis tam
professis, & in sacris etiam presbyteratus Ordini-
bus constitutis, quam alijs quibuscunque, vt in eo-
rum Ecclesijs, Domibus, Monasterijs, & locis, tam
in Choro, quam extra Chorum, horas Canonicas,
Diurnas, & Nocturnas secundum vsu, ritum, &
morem Rom. Eccl. iuxta formulam Brev. Rom.
nouissimè ex decreto dicti *Trid. Conc.* refor. &
piæ mem. *Pij* Papæ V. & Prædecessoris nostri iussu
editi publice, & in simul, ac etiam priuatim, & sin-
gillatim dicere, & recitare liberè, & licitè valeant,
ita vt amplius ad dicendas horas Canonicas secun-
dum ritum, & morem dicti *Ord. B. Mariæ de*
monte Carmelo minimè teneantur, & nihilominus
præcepto, & obligationi satisfaciant.

Quodq; eisdem *Discalceatis* in Rom. Curia Pro-
curatorem suæ Prouinciæ *Discalceatorum* ad tra-
ctanda eiusdem Prouinciæ negotia ex numero
ipforum *Discalceatorum* destinare, & perpetuo ha-
bere liceat, autoritate præfata de speciali gratia
concedimus, & indulgemus.

Quocirca venerabilibus Fratribus *Toletano*, &
Hispalensi Archiepiscopis, & Episcopo *Palentino*,
ac dilecto filio *Causarum Cur. Cam.* Apostolica
Auditori Generali, ac vniuersis & singulis Patriar-
chis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Ecclesiarum
Præla-

Prælati, nec non quibuscunque in dignitate Ecclesiastica constituti per Apostolica scripta mandamus, &c. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die vigesima Septembris, millesimo, quingentesimo octogesimo sexto, Pontificatus nostri anno secundo.

CAPVT IV.

Elenchus monasteriorum à B. TERESA, alijsq; postea excitatorum.

CVM de primæua regula, quam *Albertus Patriarcha Ierosolymitanus* concinnauit, deq; seuerioris vitæ disciplina in usum reuocanda, B. TERESA firmiter statuisset: primum, vt dixi, monasterium, in *D. Iosephi* honorem, ipsa *Abula Auila* excitauit: vestisque sacra virginibus quatuor anno 1562. primo data. Hoc institutum non modò *Ioan. Bap. Rubens* Rauennas, Carmelitarum Præfectus generalis, sed & *Pius IV.* Pont. Max. diplomate c. 10. 1565. edito adprobauit. Quorum auctoritate permota B. TERESA de alijs alibi cœnobijs instituendis seriò cogitauit.

2. Secundum itaque monasterium *Methymna Medina Campi*, nobilissimæ matronæ *Helena Quiroga opi-del Campo* bus, MDLXVII. est institutum. 1567.

3. Cœnobium *Malagonense* anno proximè insequenti *Ludouica de la Cerda*, N. *Methymnæ cæli Ducis* soror, inchoauit. 1568.

4. Eodem anno, ad muros vrbis *Vallisoletana, Valladolid* infundo *V. N. Bernardini Mendozæ*, monasterium, 1568. *Conceptionis B. Mariæ Carmelitana* titulo, excitatur: inde ad locum commodiorem, *Maria Mendozæ* (erat ea coniux magni, vt vocant, *Commendatoris Cobos*) liberalitate, anno c. 10. 1569. ipso S. Blasij die, translatum.

5. Anno MDLXIX. *Toleti*, quæ vrbs est Hispaniæ *Toledo* nobilissima, alienis ædibus pretio conductis, ipsa 1569.

B. TE-